

Ann. III.

Num. VI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii *VOX URBIS* possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES
LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENT.

Apud
COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.
NEW YORK, 143 w 95th St.

IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND
Apud
NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

LUGDUNI

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue Victor Hugo, 5

IN GALLIA

LUTETIAE PARISIORUM
LIBRAIRIES VIC ET AMAT
CHARLES AMAT SUCC.

Rue Cassette, II.

IN HUNGARIA

Apud
C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE
BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

DE FOEDERE INTER ANGLICAS AUSTRALIAE COLONIAS	Romanus.
DE LINGuae LATInAE NATURA AC PROPRIETATE	P. Rasi.
GRAMMATICI ET RHETORES APUD ROMANOS	I. Iachino.
IN MORTEM CAESARIS CANTÙ	Aloisia Anzoletti.
LIQUIDUS E FLUIDO FACTUS AER	M. Lani.
BONARROTI TABULA "PARCAS", REFERENS	Laelius.
EX AMERICIS — De pilae ludo "base-ball", nuncupato	H. Doswald.
DE SACRIS STATIONIBUS	F. C.
COMMUNIA VITAE — De supellectili mensarum	H. D. V. Pieralice.
VITA FUNCTI VIRI CLARIORES	I. F.
HORAE SUBSECIVAE — Idibus Martii an. a. C. n. XLIV	A. Basili.
QUAESITIS RESPONSIo — De recta latina verba enuntiandi ratione	F. Ramorino.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO	Forfex.
AENIGMATA	A. E. de Druffel.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Stomachi photographia	P. d. V.
EPISTOLARUM COMMERCII	A secretis.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCCC

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

Commentarii VOX URBIS anno MCM

Premium annuae subnotationis est: in Italia Lib. **10**; ubique extra Italiam Lib. **15**; M. **12**; Sch. **12**; Doll. **3**; Rubl. **6**; Flor. **7½**, recto tramite mittendum
ad **Aristidem Leonori** equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem
ROMA - Via Alessandrina, 87

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

Inter eos omnes, qui die XV mensis Martii MDCCCC inter commentarii socios numerentur, sorti committetur sacro Paschatis Resurrectionis die eiusdem anni

Theca Aurea Pulveri Nicotiano Asservando

qua SS. Dominus PIUS Papa IX f. r. utebatur, prouti ex luceolento constat in scriptis testimonio

Qui primum nunc nomen dederint, premiumque subnotationis solverint uti supra, *Vox Urbis* commentarium accipient a Kalendis Ianuariis usque ad expletum annum MDCCCC, iisque donum erit

URBIS A IANICULO MONTE PROSPECTUS

late magnus (m. 1.10 × 0.24) et visu decorus.

Sociis qui subnotationem renovabunt dono dabitur *ubi primum in promptu erit*

LIBER (vulgo "Album") PRAECIPUA URBIS REFERENS

pulcritudine insignis atque, commentarii moderatore iubente, expresse conflatus.

Denique illis inter socios, et recentes et veteres, qui tres in Italia, vel binas ubique extra Italiam subnotationes novas comparaverint, earumque annum premium **recto tramite miserint** ad commentarii administratorem, optio erit unius ex his XXXIII quae sequuntur, quod gratuito pariter habebunt:

I. Aristotelis De arte poetica liber. Rec. GUILELMUS CHRIST.	VIII. Xenophontis. Expeditio Cyri. Rec. A. HUG.
Id. Ars rhetorica. Ed. A. ROEMER.	Id. Historia Graeca. Rec. O. KELLER.
Id. Quae feruntur Magna Moralia. Rec. FR. SUSEMIDL.	Id. Institutio Cyri. Rec. A. HUG.
II. Fabulae Romanenses graece conscriptae ex rec. et cum adn. A. EBERHARD.	Id. Commentarii. Rec. W. GILBERT.
III. Homeri Carmina. Ed. GUIL. DINDORF. (Voll. 2).	Id. Scripta minora. Rec. L. DINDORFIUS.
IV. Metrologicorum scriptorum reliquiae. Ed. FRIDERICUS HULTSCH. (Voll. 2).	IX. Novum Testamentum. Graece ed. PH. BUTTMANN.
V. Patrum Nicaenorum nomina graece, latine, syriace, coptice, arabice, armeniace. Edd. H. GELZER, H. HILGENFELD, O. CUNTZ.	X. Augustini (Sancti Aurelii) De civitate Dei lib. XXII. Iterum rec. B. DOMBART. (Voll. 2).
VI. Plutarchi Vitae parallelae. Rec. C. SINTENIS. (Voll. 5).	XI. Caesaris C. Iuli cum A. Hirti aliorumque supplementis: Commentarii de bello Gallico, de bello civili, de bello Alexandrino, de bello Africo, de bello Hispano. - Fragmenta. Recc. B. KÜBLER et Ed. WÖLFFLIN. (Voll. 3).
VII. Strabonis Geographica. Rec. A. MEINEKE. (Voll. 3).	XII. Ciceronis M. Tullii Opera rhetorica. Edidit FRIEDRICH. (Voll. 2).

(Sequitur in tertia operculi pagina).

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE FOEDERE

INTER ANGLICAS AUSTRALIAE COLONIAS

FELIX profecto consilium atque ex progrediente dies mutua populorum caritate, non minus quam ex paratis inde utilitatibus exortum, hodiernum illud est nationibus commune, ut sese suaque res foederis sancta lege coniungant, quo collatis ad invicem viribus, communicatisque citius commerciis, singulae finitimarum fraterno auxilio provectae, humanitatis bona lucentur, atque uberrime florent.

Cuius quidem rei quod primum maxime insigne, recentiori aetate, exemplum exstitit ab Americanis nordicis civitatibus prolatum, tam prosperis eventibus tantaque gloria illuxit, ut sui admirationem in dissitis passim orbis gentibus provocaret, aemulationem pareret, imitationem incitaret. Notum est enim, hanc eamdem sequutas viam, respublicas Brasiliac ad invicem esse nexas, idemque in Argentina caustum, et in foedere quod quinque notissimas meridionales Americae respublicas prospere devinxit. Nec satis: eo enim adamussim proposito, quo nordica Americae regio fere omnis potuit in unum coacta ad summum potentiae fastigium pervenire, Roca, Argentinae praesidem, auctorem fuisse vidimus, ut maximae ditioresque meridionalis Americae respublicae foederationis vinculo connecterentur.




Cui magno ferme et prudenti incepto dum Europa laeta plaudit, nec paucioribus nostrum neque inconsultis desiderium accedere perspicitur, ut veteres etiam Europae gentes, querelis et simultatibus abdicatis, fraterno foedere tandem firmentur.

At exoptatae spei cum remotissimus sit adhuc habendus exitus, superatos iterum nos fore ab ortis anglica stirpe colonis credendum est, iisque immo auspiciis quae Americani nordici foederis fortunis haud a longe videant.

Molitae haec sunt Australianae civitates, quarum quae prosperius Angli condiderint vel auxerint non facile invenies, ita ut humanitatis cuiusque commoda, vires, litterasque tandem assecutae, iure merito supremum ausum, totius fere Australianae foederis ineundi, sibi proposuerint, quo nullus erit faustiori augurio susceptus.


Hunc itaque maximis iam suffragiis quae meridionalem novam Valliam, vel quae terram a Regina dictam habitant gentes gratissimum habuerunt; nam utilitates et commoda quae sibi queque ex foedere suscipient tanta computantur, ut ea enumerare vel saltem indigitare longissimum sit.



Rei autem actuosos propugnatores ipsos angllicos ministros vidimus, quibus profecto non illa una ex auspicio foedere arridet spes, sed et alia praesertim elucet, ut nempe dissitis ac per orbem omnem dispersis Anglorum colonis, intersese primum coactis, ad illud tandem maximum Anglicum foedus statuendum perveniant facilius, quod inter eas omnes una cum Anglia universorum patria instituendum recogitant. Non enim alio consilio ab anno usque 1891 inita illa Imperii Societas est, neque alio proposito Anglicae gentis colonias sunt hactenus Angli ministri moderati. Quod quidem luce clarissima innotescet, si rogatio illis carissima repetatur, qua cum soluta vectigalibus commercia Angliam inter eiusque colonos omnes fiebant, arctis et gravibus tributis contra exterorū populos circumsepienda ac tuenda proponebantur. Et quidem, vel si quae tantum Australiam spectant computentur, certum est elapsō nimirum anno, mercium pretium quae sive ex Australia in Angliam, sive ex ea in Australiam advectae sunt, bis millies centena millia libellarum superasse. Qua postrema ac peremptoria ratione perpensa, et ineundi Australiani foederis maxima sollicitudo, et auspicia quae ad rem faustissima trahuntur, clarissima atque explanata cuique fient.

Sed neque rei morales, quos dicunt, fructus diurna nimis exspectatione Anglis in moram fuerunt; si enim inter hodierni belli discrimen auxilia quaedam ad eos missa sunt, ea ex coloniis Americae praecipue et Australiae sunt tradita, ita plane ut tum renascentia Indorum vel Aegyptiorum odia, tum ceterarum gentium satis aperta aemulatio, concordiae hoc signo mitigari debuerint.

ROMANUS.



DE LINGUA LATINA Natura AC PROPRIETATE⁽¹⁾

Sed ut ad nomina propria revertamur, hoc est etiam non parvum Latinae sobrietatis ac paene dixerim ieunitatis indicium, quod praenomina et nomina gentilicia saepissime a numeris (ut « Quintus », « Sextus », « Decimus », cet.; « Septimii », « Octavii », « Decii », cet.), vel a coloribus (ut « Albi », « Rutilii », « Flavii », cet.) indicantur (2). Quid plura? cum Ita-

(1) Cfr. num. sup.

(2) Qua in re non inepte Weisius conferre iubet etiam nonnullas mēnsium appellations, ut sunt: « September », « October », cet. (menses quoque « Iulius » et « Augustus » antea nominabantur « Quintilis » et « Sextilis »); quanto contra plenius ac significantius sonant haec nomina apud Graecos, quantoque pulchriora videntur « nomina propria », quorum pars vel maxima aut in - κλέος (κλέος = gloria, fama) cadit, aut a Κλεος, Κλεος incipit!

lum illud acetum (Hor. Sat. I, 7, 32) in consuetudinem proverbi venerit (non minus fortasse quam sales Atticorum apud Graecos), id mirum non videtur, quod tam saepe in nomina propria incidimus, quibus vitium aliquod vel deformitas corporis notatur. Cuius generis in magna multitudine satis est nomina « Flacci », « Claudi », « Capitonis », « Nasonis », « Bucconis », « Balbi », « Strabonis » vel « Paeti » (Hor. Sat. I, 3, 44 sq.), « Calvi », « Tuberonis », cet. commemorare: erant enim Romani non minus quam Angli prisci (ut verbis ludens ait Weisius) coloni iidemque clowns.

Etiam in deorum nominibus ingenium moresque gentis apparent: priscorum enim temporum (antiquam fabulosa antiquitas Graecorum cum Romanorum commiseretur) dii maximi erant « Saturnus » et « Mars » (= « Mamers »); quorum prior (cfr. « sero », « satum », cet.) tamquam numen rusticum, alter (cfr. μαρ-μαριων) ex deo lucis (ut plerumque numina apud populos, qui Indogermani dicuntur, a diei luce nomina duxerunt) a fera et belligera natione in deum belli conversus tamquam gentis parens et custos celebatur. Praeterea multa gentium et locorum vocabula Martis nomen prae se ferunt, ut « Marsi », « Marucini », « Mamertini », « Maruvium », cet., aliaque ex parte Saturni uxor habetur « Ops », dea agriculturae (cfr. « opus », ex quo « Osci = Opisci », id est agrorum cultores, nominati sunt), magnoque honore afficiuntur numina rustica vel agrestia, quae sunt « Ceres », « Flora », « Maia », « Pales », « Pomona », « Faunus » (a « favendo »; cfr. Hor. C. III, 18, 1 sqq.) sive « Lupercus » (a « lupis arcendis »), cet.

Etiam in proverbiis vel in dictionibus iis, quae proverbi loco celebrantur (has efficacius ac nervosius proprio nomine dicunt geflügelte Worte Germani), mirum quantum Romanorum indoles perspicitur; quod cum non in Romanos singulariter, sed in universos populos valeat, satis sit nonnulla exempli causa ponere, veluti: « inter os et offam », « operam et oleum perdere », « fortis fortuna adiuvat », « oderint dum metuant », atque eiusdem generis alia.

Neque sunt omittenda breviter illa et acute dicta (1), aut lusus illi verborum, quos logos proprio vocabulo nuncupat Cicero [*Wortspiele, bons mots* (2)], qui maximam partem sive adnominatione sive alliteratione (3) continentur, quibusque adeo abundat

(1) In hac distinete concisa brevitate, qua saepe utebantur Romani, ad morem illum loquendi, quo iure celebrabant Latinas, proxime accedebant; ex omnibus enim stirpis Graecae gentibus nullum est dubium quin et moribus ingenioque et cogitandi agendique ratione ulla propior fuerit Romanis animorum cognitio quam Lacedaemoniorum; ut hanc similitudinem in nonnullis quoque utriusque sermonis proprietatis cerni mirum non videatur.

(2) Ceterum etiam Latine vocantur « bona dicta ».

(3) Hoc nomen, rei admodum conveniens, quod nostris temporibus ut « terminus » qui dicitur « technicus » universe receptum est, princeps debet huic figurae, quae « e litterarum allusione constet », I. L. PONTANUS. Quid vero intersit inter adnomi-

Latinus sermo, et vulgaris et urbanus et oratorius, ut hoc quoque fuisse proprium atque insigne Romanorum naturae necesse sit statuamus. Qua in re prima sine dubio deferenda sunt Plauto (cuius « salles » Ciceroni ipsi « salsiores » videbantur quam Atticorum), Ciceroni (idque praecepit in epistulis atque in orationibus), Ovidio (qui, ut erat ingenio subtili, alaci festivoque eique quod tentabat dicere, versus erat, natura ipsa ad urbanas facetias ferebatur); id autem genus loci tam multi sunt cum apud ceteros tum apud hos quos modo nominavi, ut putidum sit pigratque etiam pauca exempli causa proferre.

Atque Weisio praeiente ad alia transeamus. *Naturam quamvis furca expellas, tamen usque recurrere, et est pulcre dictum et in sermone ipso Latino valere atque latius patere, facile intellegitur; cum enim populus in bellis et in agris versatus inde magnam animi duritiam et vitae severitatem contraxisse videatur, huic tamquam ingenitae proprietati asperitatem quamdam sermonis, qui longum in aevum vestigia ruris servavit, respondere dicas. Atque adeo tum etiam cum « grave virus munditiae pepulere », agilitatem illam, ut ita dicam, mollitiamque sermonis, quam in Graecis admiramur, assequi non poterant Romani; ut suo iure scriperit Quintilianus (XII, 10, 36): « Non possumus esse tam graciles, simus fortiores; subtilitate vincimur, valeamus pondere ».*

Sed in verborum ipsa structura et in iis conclusionibus, quae « periodi » Graeco proprio nomine dicuntur, imaginem ipsam et quamdam maiestatem Romanae reipublicae quasi reddi dixeris. Ut enim in civitatis forma omnia ita sunt constituta, ut singulcives per se nihil fere possint, sed ideo valeant, quod in magna reipublicae compage quasi membra habeantur, itemque in hac talis est ordo, ut singula quaeque inferioris loci singulis quibusque superioris loci commode aptentur et omnia vi tamquam centrali impulsa ad summum civitatis bonum convertantur (1), sic in ipsa periodo, quam Graeci vocant, verba ac sententiae non uno tenore plerumque progrediuntur, sed alia aliis subiecta sunt et militari tamquam ritu procedere videntur. Quod ex eo vel maxime cernitur, quod sententia primaria familiam quasiducere videtur; nam et ipsa primum sibi locum vindicat et ei ceterae sententiae, eadem inter se ordinis lege servata, pro suo quaeque pondere et gravitate subiciuntur, ut

Singula quaeque locum teneant sortita decenter.

Quid, quod in consecutione temporum, unius verbi principalis, ut ita loquar, nutu ductuque, tamquam imperatori dicto audientia cetera verba reguntur?

Indolem autem Romanorum ad agendum usumque rerum accommodatam, quae ad omnia distincte ac definite cognoscenda et explananda refertur, in eo etiam conspicimus, quod Latini scriptores senten-

nationem (= παρονομασίαν) et alliterationem, et quam sint alliteratio aequa atque homocoteleuton (= ἴσηστε λεύτων) aliaque λέξεως σχήματα (« lumina » vel « insignia » vel « ornamenta orationis », Crc.), Romanorum cum sermoni tum naturae ipsi consentanea, alio loco verbisque nostratis usus demonstrare ipse studii (*Osservazioni sull'uso dell'allitterazione nella lingua latina*, Pad. 1889, et *Dell'omeoteleuto latino*, Pad. 1891). Alliterationem autem imprimis propriam fere fuisse antiquissimae Romanorum poesi, nec a recentioris aetatis scriptoribus neglectam esse, utpote quae ingenio ipsi populi Romani respondere, ad eiusque iudicium auresque apte accommodatam esse videretur, lib. adl. p. 7 sq. ostendi.

(1) Familiam ipsam Romanam praecepit ob patriae potestatis institutum parvum esse reipublicae simulacrum, iure adfirmari potest.

tias potius in re quam in cogitatione (sive « in concreto » potius quam « in abstracto », ut propriis philosophorum vocibus utar) positas sectantur. Cuius rei exempla, eaque non unius generis, sunt: « ante reges exactos », « ab Urbe condita » (1), « prudentis est », « verum dicere », « cogitanti mihi », aliaque id genus multo plura.

Quae cogitandi proprietas ac subtilitas minuta que et anxia loquendi diligentia in aliis etiam rebus apparet: ut in mutua temporum convenientia (« veniam, si potero » = Italice: *se posso, verrò*, sed etiam: *se potrò*; « ut sementem feceris, ita metes » (2) = Italice: *come seminerai, sed etiam: come avrai seminato*; « cum ceciderat » = Ital. *ogni qual volta cadeva*, « surgebat »), ut in numero plurali pro singulari utendo, cum res vel natura vel ideo quod ad plures referuntur notione numeri pluralis continentur (« oculos advertere », Ital. etiam *l'occhio*; « aures praebere », Ital. *l'orecchio*; « discipulorum animi », Ital. etiam *l'animo*), ut in quibusdam locutionibus (« niti aliqua re », « recipere aliquem oppido », « lectica ferre », « navi vehi », cet.), in quibus Romani, subtilius illi quidem quam nos, ablativis tum « causae » tum « instrumenti » pro « ablativo loci » utuntur.

Restat ut de alia Latinae linguae proprietate pauca dicamus, quem locum extrema fere capitum primi parte tractat Weisius. Id enim iam Carolus Guilelmus v. Humboldt animadvertisit, sonum ipsum litterarum praecclare cum singulorum corporum temperatura et figura totiusque gentis naturali habitu convenire. Quod cum ex multis aliis indicis, tum ex hoc iudicamus hodie videre possumus, quod in populorum septentrionalium linguis verbisque litterae consonantes mirum quantum numero vocales superant, cum Europae meridianae populi magna vocalium ubertate polleant: unde singularem illam linguae Italicae venustatem, suavitatem, subtilitatem repetendam esse, contendit Weisius. Quod vero ad Latinum sermonem attinet, hunc medium quiddam tenere dicit inter vocalium crebritatem atque copiam Italorum propriam et magnam consonantum abundantiam, quae est nota Russorum insignis. At si Latinam linguam cum Graeca comparaveris, quanto illam numero et vigore consonantum huic praestare dicas, quae potius summa vocalium ubertate ac mollitia excellit! Quam utriusque linguae proprietatem cum utriusque populi moribus atque ingenio cohaerere, nemo negaverit (3): in Latino certe sermone allitteratio illa verbi causa, quae nervosior et efficacior ex crebra earundem consonantum concursione fit, quam propria est cum Latini sermonis tum maxime poesis antiquissimae, et quanto saepius invenitur quam alterius generis allitteratio, quae ex vocalibus oritur!

(Cfr. op. adl. p. 17).

(Ad proximum numerum).

PETRUS RASI.

(1) Item per analogiam urbanius dicemus « ante » vel « post Christum natum » quam « ante » vel « post Christi nativitatem ». Ceterum cfr. etiam apud nostrates quorundam poetarum inscriptiones, ut sunt: *La Gerusalemme liberata*, *La Secchia rapita*, *Il Malmantile riacquistato*, etc.

(2) Cfr. nunc etiam P. CAUER, *Grammatica militans*, Berolini, 1898, cap. IV: *Psychologie und Logik*, p. 46 sqq.

(3) Apte quadrat ad hanc rem quae olim scripsit F. AUGUSTUS WOLF, cuius verba ipsa haec sunt: « Die lateinische Sprache hat nicht den Wohlklang der griechischen. Die vielen Konsonanten und wenigen Vokale geben ihr ein hartes Ansehen und charakterisieren die Nation ». Quo loco Weisius laudat etiam ex nostratis FRANCISCUM SCERBO (*Caratteristiche del greco e del latino*, Firenze, 1893, p. 1), cuius ipsius verba subiungit: « Il vocalismo greco è più ricco, più delicato e vario, ritraente più la freschezza e l'agilità dei suoni primitivi: il vocalismo latino ci appare meno armonioso e snello od integro e un po' più incerto ».

GRAMMATICI ET RHETORES APUD ROMANOS

S ATIS liquet in rhetoricam artem a Graecis evulgam plures oratores Romae suis meditationibus incubuisse atque in ea expertos fuisse. Re quidem vera Graecorum optimos Romam accivit Cornelius, ut filios Tiberium et Caui eloquentia instituerent; deinde, mentione tantum facta Catonis filii praeceptorum, in quibus Quintilianus romanae rhetoricae principia novit, ut latinum rhetorem inveniamus, ad Ciceronis aetatem confugiendum est, in qua, inter oratores autodidactos floruerunt Sulpicius et Antonius, quorum memoriam iniicit Cicero, cum de Curione consule, ineruditus oratoris imaginem referens, loquitur: « Nullum ille poetam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat, non publicum ius, non privatum et civile cognoverat. Quamquam id quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicius et Antonius » (1).

Anno vero 662 U. c. publica rhetorum mentio fit, cum Domitius Aenobarbus et Lucius Licinius Crassus ita edixerint: « Renuntiatum est nobis, esse homines qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse latinos rhetores, ibi homines adulescentulos dies totos desidere. Maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos stare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter et iis qui eos ludos habent, et iis qui eo venire consueverunt, videtur faciendum ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere ».

Hoc senatusconsulto non rhetoricam artem sed rhetorum ignorantiam superbiamque abortus erat Crassus, clarus orator Romae habitus et a Cicerone laudatus, qui eum ita loquentem inducit: « Apparatu nobis opus est, et rebus exquisitis undique et collectis, arcessitis, comportatis, ut tibi, Caesar, faciendum est ad annum, ut ego in aedilitate laboravi, quod quotidianis et vernaculis rebus satisfacere me posse huic populo non putabam. Verborum eligendorum et collocandorum et concludendorum facilis est vel ratio, vel sine ratione ipsa exercitatio. Rerum est silva magna, quam cum Graeci iam non tenerent, ob eamque causam iuventus nostra dediceret paene discendo, etiam Latini, si Diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; quos ego censor edicto meo sustuleram; non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos, qui cuiusmodi essent, videbam tamen esse, praeter hanc exercitationem linguae, doctrinam aliquam et humanitate dignam scientiam, hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus coniunctum, per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc cum unum tradetur, et cum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere. Quamquam non haec ita statuo atque decerno, ut desperem, latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri; patitur enim et lingua nostra, et natura rerum veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum, moremque transferri, sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere nostri ulli fuerunt; sin quando extiterint, etiam Graecis erunt anteponendi » (2).

(1) *Bruetus*, 59, 214.

(2) *De oratore*, lib. III, 24.

Ex hisce verbis edicti causam rationesque, atque aetatem qua rhetores Romae scholas aperuerunt, accipimus; dialogum enim Cicero singit paulo ante Crassi mortem, quae anno 662 accidit. Quare cum Crassus diceret «hoc biennio», scilicet postremis duobus annis quibus censuram gessit, haud a veritate absumus, initium rhetoricae disciplinae anno 660 affirmantes.

Hoc quoque edictum frustra promulgatum est; nam paulo post Plotium Gallum, quem Cicero primum rhetoricae artis magistrum appellat, Romae exstitisse comperimus, anno 666. Cicero enim ad

M. Titinum scribit: «Equidem memoria teneo, pueris nobis primum latine docere coepisse Plotium quemdam. Ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant graecis exercitationibus ali melius ingenia posse».

Porro Cicero tunc adhuc erat adolescentis, quippe qui anno 648 natus, decimum octavum annum ageret, ut i. se affirmat. Plotium autem minime eruditum fuisse ex hoc coniicimus, quod ab eo audiendo iure Ciceronem familiares ipsi amoverent; nimis M. Caelius in oratione quam pro se habuit, nomine subtracto, teste Suetonio, ordearium appellat, eum deridens quasi inflatum, levem atque rudem.

Bonam, contra, nominis existimationem est adeptus M. Antonius Gnipho, grammaticae rhetoricaeque magister habitus, aliquae complures, tunc cum utraeque disciplinae nondum erant disiunctae, ita ut, teste ipso Suetonio: «quotidie pracepta eloquentiae traderet, declamaret vero nonnisi nundinis».

Floruere postea L. Voltacilius Pilitus, M. Epidius, Sextus Clodius, C. Albucius Silus, rhetores; Aurelius Opilius, M. Pompilius Andronicus, L. Orbilius Pupillus, L. Ateius Philologus, P. Valerius Cato, grammatici, aliquae plures merito insignes, quo factum est ut, cum discipulis carerent, quorum stipendiis divitias convergent, in provincias, praesertim in Galliam togatam, migrarent, inter quos Octavium Teucrum, Pescennium Iaccum, Oppium Charetem Suetonus memorat.

Vergilius ipse Cremonae studia invit quoae Mediolani prosecutus est, Bergomique Pudentis, aetate augustea, grammatici schola erat. Inter eos laudabiliter munere suo complures functi sunt, ut C. Iulius Hyginus natione hispanus, et C. Melissus Spoleti natus ingenuus, quibus curandam Augustus tradidit bibliothecam.

I. IACHINO.

In primis provideamus, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus: quod maxime tum solet evenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut severe, aut maledice contumelioseque dicitur.

(Cic. De offic. 1.)

LIQUIDUS E FLUIDO FACTUS AER

HAEC nuperrima inventio, quae in ipso limine ferme otiosa videbatur, nunc tanti fit, ut in illam omne humani generis bonum atque incrementum confluere existimet. Res penitus hesterna est, et omnia iam implevit, plurima quidem exhibens, at longe plurima portendens brevi futura. Numquid etiam in hoc redibit proverbium, quo monemur nivis abundantiam lanae esse inter fines, et mensuram lacrimarum aqua gaudii mensura rependi?

Anno equidem 1627 inter fatuos ille habebatur,

Qua vi, de aquis loquor, solidissimae evelluntur subvertunturque rupes, eroduntur montes, datur causa et origo fontibus atque fluminibus?

Quum autem haec sit veluti naturae lex, non certe mirandum si novo huic adinvento et vis et virtus violentissima, immanis inesse visa repente sit; si erecti elati que animi tum cum in perscrutanda incumbebant nova invenerunt utilia, de quibus antea non cogitarant.

Rem dico, cui veritas affulget. Antequam annus exeat, et Neo-Eboraci, et Parisiis venalis erit hic liquidus aer apud quoslibet mercatores, neque domus erit, neque officina, immo nec theatrum nec tempulum, quibus liceat ipso carere. Quid? Liquidus aer exiguo aere comparabilis cuicunque erit.

Iamque in primis Suevus Oscar P. Ostergren flabellum ex aere liquido constituit, quo crassus calidusque cuiusvis officinae, aut aulae, aut cubilis aer, nemine adlaborante, immutatur, et non modo ex aestu in frigus convertitur, sed quaecumque animalia caloris gratia generantur, vel generata fuerant sive ex bacteriis, sive ex bacillis, illico adiungunt in mortem, atque aer ex integro talis efficitur qualis nusquam salubrior.

Quidnam utilitatis haec in nosocmia deducent? Quantam hic potius vel alibi utilitatem, atque subsidium inde homines comparatur sint prorsum ignoro, comparandam fore et quidem plurimam plane fateor.

Aliud autem est flabellum illud, quod «ventilatorem» proprio nomine appellare placet, aliud apparatus ille, quem «refrigeratorem» in votis est nuncupare. Ventilator frigus iuxta modum salutis ac deliciis parem in clave inducit, refrigerator exigua illa animalia cuiusvis generis, quae morborum et vel mortis aliquando caput semenque sunt (nascentibus aestu favente) prorsus exterminat.

At inopina vis inest, qua carri, vehicula, currus, abrogato vapore, amanda electricide, machinae omnes ab humili aratro ad serras in opera commoveantur. Iamque vectoria navis Elean, a Singapore ad isthnum Suez tentat, peragisque feliciter iter longe minori impendio, quo ante opus erat, et longe paucioribus adhibitis operariis; nam quatuor tantum, ex iis,

peragendis quibuscumque sunt satis. Et praterquam quod nulla necessitas inest divertendi ad emporia carbonis, nam aer ubique est quo thesauri virtutis moventis reficiantur, praeterquam quod longe absunt pericula illa incendi et conflagrationis, magnum in navi spatium quod carboni asservando, oneriisque comportando par erat, mercibus ac viatoribus relinquitur opportunus ac utilius occupandum. Quid commerciis hoc prosit, quid referat, quid intersit, quid bono faciat, et in columbati id consulat prae oculis cuique est.

Atque hic ego, etsi vereor ne turpe sit homini aetate iam gravi nimium praecepiti spei novisque rebus indulgere, genioque, ut ita dicam, laxas habendas effundere, non tamen ea cohíbeam, quae pectore assurgunt his praelestim temporibus, quibus intersumus, quibusque

Omnia iam fiunt, fieri quae posse negabam.

IN MORTEM

CAESARIS CANTÙ⁽¹⁾

*Funereum iam tolle caput, nigra Mors! Tibi raro
Contigit huic similem corripuisse virum.
Nam tibi fatalis victimum non obtulit hora,
Digna sed indomito milite pugna fuit.
Morbus et impatiens onerosa senecta malorum
Instabant illi; fortior ille malis.
Cum iam deficerent tenuato corpore vires,
Integra tunc quoque mens causa vigoris erat.
Mens, et quae fuit ingenii vis magna, voluntas,
Qua velut herculea cuncta subegit ope.
Sic ubi, frigida Mors, illum haud inopina petebas,
Immotis oculis, impavidusque stetit.
Quid mora tanta fuit? iam tactam nonne pigebat
Omnia quae pandit saecla rigere manum?
Vicisti tamen! Heu, nec erit mediocribus isto
Propitio qui nos tempore magnus amet!
Heu, nec erit niveo ridens cui parvulus ore
Incipiat pulcrum noscere canitatem!
Parcite sed pueri lacrimis; nam luce carentem
Septa pīs ubi nunc floribus urna tenet,
Facundus tacito requiescens ore magister
Quod manet aeternum cogitat eloquium.*

ALOISIA ANZOLETTI.

(1) Caesar Cantū, qui in historiis exarandis semperglorie gloriae segetem ac materiam sibi condidit, natus est Brivii, in oppido Insubriae, vi id. Dec. m DCCCV obiitque Mediolani v id. Mart. m DCCXCV.

V. U.

quem romanensium fabularum scriptor, Anglicus Feltham, ridicule inducebat magna cura concludentem in vitris aerem, et venalia obsignata illa facientem. Misericordia, cui emptores deerant, cum prae manibus merces esset, eademque superabundaret! Hoc autem nunc in factis est; at, immutata forma mercis, inexspectata inde tulit a qua non sperabantur.

Verum quoties ista videmus, ut res a suo ordine in alium transferatur, inopina redeunt, quorum usus, et utilitas, et vires vix enumerari possunt; profecto antea nemo praedicabat. Quid enim aliud est ignis nisi transitus lignorum aut carbonum ab opaco in fulgidum, a tenebris in lumen, a solido in fluidum? Quid e converso aquae sunt si gelu quasi lapides coalescant atque obdurentur?

At quantum et quam vim exserit ille transitus, cui, de igne loquor, omnes fere debemus artes!...

Quid enim si haec liquefacti aëris acerrima vis, levior, et angustioris compos loci, agendis in aerovagis adhibeatur? Quid si locus ipse potius in aerovago officinulae alicui ad aerem liquefactum, quam ad liquefactum comportandum decernatur, quod in classiariis navibus iam ut constituantur in votis est, quippe patet exiguo negotio et loco officinas eiusmodi adstrui, transferri, exerceri?

Neque haec dico et praefero quasi ignarus, sed rei, de qua agitur, non mediocriter conscient. Nam

moles nihil obsit effectui; nec ipse aer conflagrationis sit particeps, nisi certis quibusdam copuletur materialiis, quae, ubi opus sit, adduntur, dum aera mortifera praeparantur ad pugnam, suoque loco statuuntur; tantaque ad conficienda omnia celeritas est, ut horae spatio tantum in promptu habeatur, quantum satis superque sit ad classiariae navis necessitatem, quae pugnam navalem committat.

Quod quidem dum arcet pericula, frequentesque calamitates ex acervis pyrici pulvris, dynamitisque orientes, quaeque quam crebro accidunt, experientia



Bonarrotii tabula "Parcas,, referens.

(Photographice expresserunt Fratres Alinari - Florentiae).

ille Ostergrén, in opus incumbens, princepsque in constituendis opificiis huiusmodi Neo-Eboraci, tales ibi condidit officinas, ut maximae propemodum sint toto in orbe terrarum. Liquidus aer, qui venalis existat alioque feratur, cyprio in cado concluditur, cuius interiores parietes constricta lana haerensque tueretur, ne calor, qui circum est, intima attingat. Ita porro servatur ad hebdomadam integrum, atque Neo-Eboraco Chicagum nullo detimento demittitur.

Nunc Ostergren totus est in tormentis bellicis adstruendis, quae ceteris longe praestabunt. Amotis namque quibuscumque infortuniis, quae subita conflagratione igniti pulvris, dynamitis, melanitis, lyditis saepe ipso bello luctuosiora dederunt, hoc liquido illo aere fit, ut minima vel maxima tormentorum

monente, scimus, magnum aufert a militaribus rebus impendium, quod opificiis talium rerum aeraria publica premit.

Haec novo spondet saeculo liquidus e fluido factus aer, qua in re progrediens hominum per aliora ingenium prospicere licet. Iis enim hominibus, qui aquarum vaporem ad serviendum coegerant, electridem servitutis catena circumdatam nuperrime pariter sibi manciparunt, mora non fuit quin ipsum aerem ad sua redigerent imperia subeunda, ut qui antea prorsus liber ventorumque tantummodo in potestate erat, nunc, humano ingenio adigente, ad omnia servitutis officia praestanda docilis adhibetur.

M. LANI.

BONARROTTII TABULA

"PARCAS,, REFERENS

HORRIDAS has, quas videtis, anus Michael Angelus Florentiae pinxit, cui divina et humana pulcra vel turpia, servida ingenii virtute, marmore et coloribus reddere prae omnibus datum est. « Parcae » sunt atrae illae sorores tres, Erebi et Noctis filiae, quarum latina nomina: Nona, Decima, Morta insonant; graeca vero, quae omnes norunt: Clotho, Lachesis, Atropos.

Clotho prima, quae stamina dirimit, iuxta illud Ovidii (*Trist. 243*):

*Clotho iussit promissa valere:
Nevit et infasta stamina pulla manu.*

Lachesis fila attorquet fuso; quod explicat quidem Martialis (*Epigr. IV, 54*):

*Nil adicit penso Lachesis, fusoque sororum
Explicat, et semper de tribus una necat.*

Necat vero tertia, Atropos dicta, quod nomen idem est ac « immutabilis »: haec omnium saevissima; nam brevis nostrae vitae stamina sua hora praecedit.

Habetis itaque vestra quisque fata, a pictore immortali trino hoc collegio expressa. Ingrata sane et tanta artis veritate efficta ut, licet mirantes intueamur, non possumus tamen quoniam rugosis coram aspectibus vitam hanc caducam ploremus, tam foedis custodibus commissam. Quae, etsi veterum fabula conflaverit, tamen, ut vatum concepta solent, intima sapientia haud omnino carent.

LAELIUS.

EX AMERICIS

De pilae ludo "base-ball,, nuncupato.

QUM laetis nonnulla de rumeno pilae ludo nobis perhibuissestis (1), perlibenter adductus sum, ut americanum pilae ludum, hac in terra celeberrimum omnique foederatae reipublicae loco iterum atque etiam exercitum, breviter conscriberem.

Hunc enim in ludum tanta opera tantoque studio incombunt Americani, ut hic ludendi modus altera eorum videatur natura atque singularis Americanae nationis lusus iure existimetur; dignus ergo, de quo *Vox Urbis* commentarius mentionem faciat.

Iucundum itaque et placidum ut animo fingere possitis ludum, iuvat animosam ludendi tradere rationem. Duplex utrinque est novem lusorum agmen, qui se invicem vivida dexteritate miraque sollertia superare atque vincere student. Spectatoribus circumstantibus, hilares lusores, superba victoriae spe sublati, apricum campum ingressi, se in huiusmodi ordine statuunt. Amplum enim est et planum sphaeristerium in quemdam rhombum seu potius in quamdam inversi quadrati speciem formatum, cuius singula latera nonaginta pedes longa sunt; angulis vero singulae affixae sunt bases, quae cursoribus sunt utitis gratis stationibus et ex eo, quem habent, situ variis nominibus nuncupantur, quippe praecipua termini basis (*homebase*), reliquae vero prima et secunda atque tertia appellantur; principalem enim ludi partem constiunt, quam ob causam Americani gratum hunc et amoenum ludum *base-ball* nominant. Una ergo lusorum cohors sorte selecta interiorum occupat campum; namque suum quaeque basis habet custodem et insuper a dextra et sinistra sphaeristerii parte tuta constituntur praesidia, quae illuc volantem quam celerrime repellant pilam. In medio fere autem sphaeristerio est locus pilae iaculatoris, qui pilam ad paratum iuxta termini basim stantem percussorem mittit; iniectam vero percussor in lusorum campum clava lignea elidere studet. Praeterea pone percussorem pervigil pilae captator sistit, qui pilam a iaculatore transmissam et a percussore aut non elisam aut perperam reverberatam quam citissime manu prehendat.


Exteriorum autem campum altera, quam primam appello, cohors occupat, quo ex agmine proprii et veri

(1) Cfr. an. II, n. XX.


assumuntur lusores, quippe pilae percussores et baseon cursores, quorum est lusum recte riteque peragere atque victoram reportare. Totum vero ludum ad unguem regit moderator, qui neutri parti amicus, dubiorum iudex certa declarat, et ambigua, magna cum auctoritate, iudicat atque discernit, rebellesque, si qui sunt, lusores pecunia multat.

At nunc attento animo singulare adspicite spectaculum; ludus enim iam incipit. Superbus e prima cohorte egreditur miles et termini basim aggressus citam optimam spe expectat pilam. Videtisne quanta dexteritate, quam ingenti vi, quanta velocitate pila a iaculatori perito iniiciatur? Nempe iam ad paratum percussorem volans, repente - mirabile dictu! - de via deflectit et eheu! deceptus percussor aera pro pila, inimicis ridentibus, verberat; verum ipse quamvis inopinata iaculatoris sollertia obstupescens, animo tamen non deficit, imo rubore fortior pilam iam in planum sphaeristerium, acclamantibus spectatoribus, elidit statimque ad primam basim quam celerime currit.

Nonne vero mirati estis, quod clavae ictus tantum elidisset fragorem? En ratio; pila enim tam dura est, ut saxea esse videatur, utpote quae quinque unciarum pondus



et novem digitorum circuitum habeat. At denuo ad ludum mentem advertite. En secundus miles eadem successus spe inflamatus pilam magna vi reverberat; at emissam sollers quidam campi custos dextere capit, quo fit ut hic miles praeter spem victus hac vice e ludo eiiciatur. Tertius itaque prodit: ah! iaculatoris arte deceptus aera pro pila ter percudit, eaque ludi legi victus tristis decedit. Quartus autem firmo gressu anceps init certamen et pila elisa primam basim curriculo adit, quem primus ille cursor, prima basi et secunda derelicta, iam teneat tertiam. Quibus faustis auspiciis laetus accedit quintus et profecto pila rite reverberata primam sine ulla difficultate assequitur basim, dum primus ille cursor «terminum» applaudentibus miratoribus tandem nactus, victor evadit gloriosus; etenim omnes bases magno cum successu circumvicit. At quartus miles, quem aliis longe praestare cuperet, a prima basi praeter secundam usque ad tertiam levibus pedibus currere conatus, infelix iam sentit se plus, quam quod efficiat, incepisse, utpote vigil tertiae baseos custos pilam manu tenens eum tangere studet; namque quilibet cursor, si a baseos custode pilam tenente tangitur, iam victus est. Quo ergo infaustus evadet? ad secundam basim se recipiat? Iam vero pilam videt transmissam; ad tertiam igitur redire, hinc illincque currere, trepidare, devitare, effugere; at fatigatus atque defessus, spectatoribus sonoris vocibus et magno cum strepitu applaudentibus, tandem misere capit. Itaque cum tres forti hoc et acri certamine victi sint, ludi sors mutatur,



quippe secunda cohors exteriorem nunc occupat campum, quum alterum agmen in ipsum sphaeristerium se recipiat. Quibus rebus ordinatis, ludus iterum incipit. Primus itaque secundi agminis miles trepidum anhelumque hilaris init certamen. Pol! volubili pila in longum campum emissa, primam et secundam assequitur basim. Secundus ergo fortis accedit miles, at mehercule! pilam inepte repercussam extra sphaeristerium mittit et missa a sollerte captatore manu prensa, duro et improbo marte victus moestus abit; pilae ita emissae a moderatore magna voce evocantur inepiae. Tertius igitur infausto illius eventu ira incensus et humum proterve despiciens, animosam instituit pugnam et pila perniciter electa primam agilibus celeribusque pedibus nanciscitur basim; quum primus ille cursor iam tertiam teneat. Quartus autem miles quum imprudenti ictu pilam eliserit humilem, frustra ad primam basim magna cum velocitate currere conatur, namque iaculator pilam a campo facile prensam ad primae baseos custodem quam citissime misit antequam miles ille seu cursor basim hanc tangere potuit; quinimo prudens hic et vigil primae baseos custos pilam concitam transmittit ad captatorem, qui invicem primum illum cursorum a tertia basi volucrī cursu advenientem tangit et, omnibus admiratoribus applaudentibus, superbus vincit, qualis pugna duos simul vincens lusores, egregia existimatur atque eximia. Tribus militibus victis ludi tors denuo mutatur, et deinde illa cohors quae, ludo novies mutato, plures habebit victores, superior et victrix evadet.

Haec ad vividam ludi imaginem fingendam satis mihi videntur; etenim multas alias regulas explicare longum est. Blandus autem et lepidus, ut vidistis, hic ludendi modus et salubris corporis exercitatio; quid enim valetudini magis salutiferum, quam corpus agili hoc et celeri lusu exercere, eoque famem obsonare et sanguinis fluxum reddere faciliorem? Non ergo mirandum quod hic celeber ludus Americanos adeo fascinat, ut nonnullae magnae urbes eam, quam «nationalem» vocant, pilae societatem inierint, quippe suam quaeque urbs habet cohortem optimorum lusorum, qui per totam sere vitam huic lusui operam dant,

(1) Cfr. ann. II, n. XX, pag. 160, sub tit. *Librorum recensio*.



quam et sicut illam A, Merz ibidem litteris deditus benignus ad me misit, eximiam lusorum cohortem exhibet, quae in illustri hoc et celebri athenaeo edicta multas victorias retulit. Quamvis vero plures quam novem depicti sint lusores, novem tantum ex uno agmine ludunt, alii, si qui defecerint, eorum loco certamen pergit. At nunc satis verborum. Nolite autem intermittere, si hoc forte adveneritis, singulare hoc et alacre ludi mirari spectaculum. Prosperum ut vobis sit iter felisque et redditus iam Deum deprecor. Valete.

Neo-Baltimore.

HIL. DOSWALD.

DE SACRIS STATIONIBUS

ANTIQUI scriptores, apologistae praesertim et pagani, inter quos Plinius, affirmant, Christianos, primis Ecclesiae saeculis, noctu ad loca, precibus faciundis destinata, convenire, ibique *agapem* et *synaxim* uno corde celebrare; et quum ob ius funeraticum impune reliquias et corpora martyrum sepelirent, in ipsorum memoriam festa agere, et super ipsa sepulcra sacra litare. Fideles singuli ac sacerdotes apprime de solemnibus celebrandis, et de conciliis habendis, diem, locum horamque cognoscebat, ut facillime illuc convenire possent. Ex eorum itineribus ratio illa stationum originem duxit, quas Ecclesia in tranquillitate nunc memorat. A «procedendo in locum» processio, longe secus ac illo laeto et superbo incessu festivo, qui olim *pompa* dicebatur; inde per diem a fidelibus cerei accensi ferri in memoriam eorum, quos noctu ferre solebant fideles, ne forte viis agrisque coeci aberrent, ubi erant cryptarum aditus, quas *catacumbras* appellare solemus. Procul dubio Summi Pontifices, qui toto animo totisque viribus religionem et Ecclesiam semper dilexerunt, reliquias idolatriae populo penitus eradere excogitarunt, et festis illis paganorum, intemperantia atque ebrietate celebratis, alia christiana vigiliis et ieuniis insignia subdere, ut omnes cognoscerent Romanam idolatriae atque corruptionis olim centrum, tunc sanctitatis piaculique documentum extare.

Igitur fideles, statutis diebus, in aliquod templum sive urbanum, sive suburbanum, ubi reliquiae alicuius martyris recolerentur, conveniebant, ut animus exoriantur «a passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis», ad caelestia sublevaretur, atque inde diebus istis «stationis» nomen.

At cum prisci illi stantes orare solerent, praesertim et manibus caelo supinis, hinc apud plerosque opinio, a standi modo, stationes vocari. Nec praeterendum est apud nonnullos suis sententiam, stationes appellari, quia stationis diebus indictae; alii denique, verbis Tertulliani utentes, a militiae stationibus nomen sumpsere: «Si statio de militari exemplo nomen accepit, nam et militia Dei sumus, utique nulla laetitia sive tristitia obveniens castris stationes militum rescindit».

Ceterum ubi Ecclesia fidelium numerum in dies singulos crescere vidit, pacemque nacta est, statuit ut fideles uno in loco colligendi, praecedentibus cruce et clero, duce ipso Summo Pontifice, ad martyrium aliquod pergerent; et cum illuc pervenissent, Pontifex comitantes sermonem doceret, quod ex sermonibus sancti Leonis et hominis sancti Gregorii probatur, atque inde omnes simul corde et animo Deum precibus exorarent (1). Conventus hi a primis Ecclesiae temporibus originem petunt. Sanctus Cletus enim (an. p. C. 80) auctor habetur; eiusque exemplum sanctus Xystus, sanctus Liberius, sanctus Damasus sequuti sunt.

Verum sacrae stationes prout nunc in Ecclesia habentur certis diebus haud gaudent, quia a festis mobilibus deducuntur; ideo nonnulli scriptores arbitrantur, Ecclesiam hoc fecisse, ut Christiani semper recordarentur festa haec christiana serias illas paganas exceperint. Stationum autem numerus non semper idem mansit; Summi enim Pontifices

aliquando illum auxerunt, aliquando minuerunt; et etiam statuerunt templa visitanda nonnisi celeberrima, atque maxime venerabilia, vel fideli frequentia, vel martyrum corporibus ibi sepultis, vel quod loca cryptis vel catacumbis sanctificata haberentur, quorum est adhuc monumentum in confessionibus. Temporibus vero Ecclesiae infensis, vel populorum calamitatibus obnoxii, fideles precibus martyres adprecabantur, basilicam aliquam petentes; ideo in nonnullis basilicis plures in anno stationes celebrabantur.

Sed praesertim quadragesimalibus diebus, iuxta dictum «Bona est oratio cum ieunio», indulgentiam, quae nunc *stationaria* vocatur, Pontifices concederunt. Ad «processiones» indicandas antiquitus dies Dominicus, feriae IV et VI et dies festi praeferebantur, ne populus nimis impediret et facilius ad preces disponeretur.

Sed neque ratio nec ordo harum peregrinationum semper invenitur idem: ex diebus enim et ex ecclesiis invisidis diversimode procedebatur: subdiaconi regionarii munus erat, missae tempore, ante communionem, stationem promulgare.

In more etiam habitum, ut alter ex acolytis, eadem stationis die, aliquantulum gossypii oleo lampadis madefactum Summo Pontifici offerret, his verbis alloquens: «Hodie fuit statio ad sanctum... qui salutat te». Hoc gossypio parvum pulvinar instruebatur, et post Pontificis obitum, sub eius caput immittebatur (1).

Maximae solemnes inter stations recensendae haesunt: Quadragesimae dies prima, cum Pontifex ad ecclesiam S. Sabinae pergeret, ibique cineres populo distribueret; Dominica IV, quando ad basilicam Sessorianam, vulgo S. Crucis in Ierusalem, a Lateranensi abibat et ritum benedicendi rosae aureae ipse absolvebat; et feria VI maioris hebdomadae. Tunc Summus Pontifex, nudis incendens pedibus, omnique comitante clero urbano, e patriarchio Lateranensi ad Sessorium, ut adoratio sanctae Crucis ageretur, procedebat thuribulum manu ferens, ipsumque sequebatur diaconus «portans lignum pretiosae Crucis in capsula de auro, gemmis ornata...». Crux autem patebat ad oscula infra portas «super arcellam ad rugas» (2).

Si denique sabbato «in Albis» archibasilicam Lateranensem Pontifex peteret, in ipsa basilica benedictionem et distributionem cereorum *Agnus Dei* absolvebat.

Sanctus Hieronymus, qui strenuus scrutator primorum Ecclesiae temporum fuit, nihil intentatum reliquit, ut sciret quaenam preces a primis Christianis in visitandis templis recitarentur; absolutisque diligenter inquisitionibus affirmat, preces recitatas psalmos et canticum *Benedictus* fuisse, sed procedendo de loco ad locum nunquam *Credo* et *Pater* omissa. Ita etiam Baronius. Tamen ordo et preces, quibus stationes complebantur, a sancto Gregorio repetenda sunt, quamvis antea sanctus Hilarus nonnullos clericos delegisset, qui, «ministeriales» appellati, stationum solemnibus inservirent. Nostris autem diebus, cum solemnia quae huc usque recoluimus desint, in ecclesiis praestitutis Romae sacra statio habetur hoc ritu, ut per insigne reliquiae in unaquaque asservatae fidelium venerationi exponantur, et vespere *Litaniae Sanctorum* aliaeque preces recitentur.

F. C.

a Caeremoniis Aulae Apostolicae.

COMMUNIA VITAE⁽³⁾

De supelectili mensarum.

SOPHIA illa nobili moderante convivum, regina enim convivii erat, requies mihi facta est, ut frui possem iis quae vel circumferebantur, vel apponebantur. Narravi. At cum ad «epidnipes» ventum est, pertinaces accumbentes, qui nihil sibi cessisse in bonum arbitrabantur, nisi me, quoad plura loquentem, penitus impransum vidissent, immerita Tantali referentem supplicia, rati convivii legem

(1) Confer *Eortologium*, auctore PIAZZA.

(2) Cfr. DE Rossi in *Iscript. Christ. Urbis*, II, I, p. 34.

(3) Cfr. num. sup.

una cum convivio finire: — Tempus — inquiunt — nobis tibique est, ut quae suscepimus prosequamur.

Tum iis ego: — Aut ego fallor, aut ego tantummodo prosequar, qui suscepit. Hoc unum rogo, ut garrisque stationibus amandatis, vobisque silentibus, rem ordine pangam, quanta mihi videbitur. Hac lege dicam; sin, indeprecabilis obmutescam.

Cumque omnes annuerent, ita sum orsus: — Apud maiores nostros convivarum numerus inter Charites et Musas erat. Hinc nomen: triclinio, nam per tria quadratae mensae latera vel accumbeant in stratis, vel assidebant; quarta mensae autem pars vacua erat ad opportunitatem ministrantium servorum, dapiumque inferendarum. Si autem non ad Charites sed ad Musas numerus referretur, terni pro quo vis latere triclinii seu sedebant seu discumbeant. «Biclinium» autem illa dicebatur mensa, quae binum tantummodo lectulorum ordinem praeserret; «stibadium», vel «sigma», ad modum antiquae notae, quae falcata lunam potius quam Σ ostenderet. Stibadium autem, seu sigma, in usu potius erat si convivae septem haberentur, quod ex Martialis versu luculenter appetat (lib. X, 48):

Septem sigma capit; sex sumus; adde Lupum.

Quid si sex essent convivae? «Hexaclium» vel «hexaclinon» memini me legisse in Latinis. De biclinio nihil addam; huiusmodi enim saepe videmus in Etruscis plerumque dolatis, ubi Iupiter et Iuno, aut si quis Deus alias Deae bini coenent. Stibadia vero vel tribus innitebantur pedibus, vel uni; haec vero docent et Horatius (*Sat.* 3, lib. 1):

Modo sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri,

et Juvenalis (*Sat.* XI):

Nil rhombus, nil dama sapit; putere videntur
Unguenta, atque rosae, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, et magno sublimis Pardus biatu.

Hinc etiam scimus mensarum fulcra sculptilibus pretiosa, ex ebore, ex argento, ex cedro (uti illa Miloniana dono Ciceroni data HS. LX pretio aequans), quinimo ex auro intertexto gemmis, ut Neroniana illa et Aeliogabaliana portenta digna superpositis murrhinis et smaragdinis lancibus haberentur. Et super mensas huiusmodi sternebatur pannus, magnificis plerumque operibus acu pictus, quem «mansile», seu «mantile» dicebant; «mappam vestemque coenatoriam» quisque secum afferre solebat; interdum et convivii dominus apparabat. Utrumque dabit usum non idem poeta:

Attulrat mappam nemo, dum furtu timentur;
Mansile e mensa surripit Hermogenes.

(Mart. XII, 29).

Horatius autem (I Ep. 5):

Haec ego procurare et idoneus imperor et non
Invitus; ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares.

Credite nunc extero cuidam de cultu mensarum disserenti, et affirmanti Horatii temporibus nullum esse Italiam usum mensilis et mappae, neque iis nostrates usos, nisi xv circiter saeculo. At qui Romani «isculum» sorbebant, velut Cicero longius rem (V *Tuscul.* 34) de Dionysio narrans monet, «cochlearibus» uti quoque debuerunt. Scimus apud eos «cultelli coenatorii» morem, Juvenale (V) scribente de ministrantibus in convivio, nempe de «structore», cui mensae aulaeque convivalis parandae cura, de «scissore ciborum» (secalo, italicæ), de «diribitore», de «carptore», de «chironomonte». Ita sunt carmina:

Structorem interea, ne qua indignatio desil,
Saltantem spectes, et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat mandata magistri
Omnia; nec minimo sane discrimine resert
Quo gestu leporis, et quo gallina secentur.

Neque de «furcilla», aut «furcula» loquar; memoria enim hanc me vidisse et possidisse aeneam, affabre in

hasta caelata, meis fere sub oculis erutam ex Carseolanis ruinis; hoc tamen a nostris discrimen: ter acus, non quatuor praeferebat. Erant apud maiores «acetabula» ut nunc in mensis, erant «salina», atque ita haec postrema, ut magni pretii ducerentur, quia hereditate suscipiebantur ac tenebantur, et de conditione coenantis quodammodo testabantur; unde illud Horatii:

*Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.*

Hisce autem animadversis rite videtis a priscis illis huius Urbis viris mensas nostras non abire, sed multa habere communia, tum si adstruantur, tum si ornentur. Quid ultra optatis ad testimonium? Ecce coram unoquovis nostrum acies cyathorum vel exiguitate, vel magnitudine, vel forma vires, indolem, vimque vinorum singulorum fere significans. Numquid aliud erat ac diversum antiquis, quibus «calathi» ad formam lili confecti, teste Plinio (XXI, 5), «calices», graecanice «allassontes», quia vel iridem crystallo fingebant, vel picti versicolores erant. «Carchesia», procera vasa, ansata, ebrietatibus consona, hic alite bono non video; non enim is sum, qui cum Tibullo dicam (II, 1):

*Vina diem celebrant; non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.*

«Cymbiorum» vero haec vascula locum obtinent, quae vino Gallicae Campaniae sorbillando opportunita creiduntur; quamquam, Macrobo auctore (V Saturn. § 21), «paterae» potius crystallina huiusmodi nuncupanda sint. Neque scyphos hic, neque phialas tulit temperantia domini, quae iudicium in nos durius ferrent, quasi ebriosi reputaremur. Atqui virtuti super omnia studemus, et post hanc iis omnibus quae latino sermoni honori laudique sint, ut, quo citius possit, communibus vitae significandis optime restituatur.

— Quod quidem — inquit Sophia — brevi futurum spero, si mulieres nos, quibus idem est et velle et posse, in id magna nostri sexus laude atque honorificentia incubuerimus. Hoc vero resumemus in aede, quam kaffae potionibus sacram Crispinus meus constituit, et quo vos me sequemini. Prosit.

Haec ait, et comitantibus nobis magna cum iucunditate processit.

H. DE VECCHI PIERALICE.

VITA FUNCTI VIRI CLARIORES

Hughes, celeberrimus ille telegraphi impressoris, qui ab eo dictus est, ac microphoni inventor, in Anglia ortum duxit, an. M DCCC XXXV, sed in Americae sept. foederatas civitates de-migravit, ibique civium iura obtinuit. Humilis pariter atque sapientiae amantissimus opes fere omnes, suis laboribus cumulatas, institutis et academiis ad scientiam pertinentibus moriens legavit

Aemilius Bencetti, qui primum et quadragesimum agens annum Mediolani cessit, late Africam lustravit. Postquam enim interiorem illius terrae plagam diligenter inquisivit, in Zanzibar constitut, donec a Belgarum rege ad liberam Congi civitatem missionem accepit. Qua prudenter absoluta, in Tripolitania, ac deinde in Transvaaliana republica versatus est, unde, gravi morbo laborans, patriam repetere est coactus.

Ioannes Canestrini Tridentinus, naturalium rerum scrutator praeclarus, Patavii obiit.

Iulius Schwartz, in Budensi athenaeo doctor, inter primos graeci eloqui cultores recensendus est. Opera, quae scriptorum eius tamquam capita constituent, *Popularis apud Athenienses civitas et Vis Urbis per Orben*, magnum nomen ipsi comparant. Multos annos quoque populi orator in Hungarico coetu legibus serendis relatus est.

Neapoli his diebus longum vitae cursum absumpsit **Bar-tolomaeus Capasso**, doctissimus historicarum rerum aestimator. Italorum publico tabulario etiamnunc praerat, illique museo, quod ad rerum gestarum memorias colligendas ipse condidit. Historias assidue evolvens multa dispexit litterisque man-davit.

Senex **amus**, neque minus clarus in ipsa Neapoli, die huius mensis sexta, placida morte quiete, **Vitus Fornari**, sacerdos de sapientiae et patrii eloqui studio optime meritus. *Vita enim D. N. Iesu Christi et Ars dicendi*, quae ipse inter multa conscripsit, monumenta haud facile delenda permanebunt.

I. F.



HORAE SUBSECIVAE

IDIBUS MARTII AN. A. C. N. XLIV

*Caesar ego, fulmen belli. Mibi marlia flexo
Succubuit tandem Gallia victa genu.*

*Inmanis percussa meo Germania ferro
Barbarico Rheni sanguine tinxit aquas.*

*Primus in immites et scissos orbe Britannos
Romanas aquilas imperiumque tuli.*

*Concidit Emathiis in campis aemula magni
Pompeii virtus, robore pulsata meo.*

*Nequidquam Aegyptus me saevo aggressa tumultu est;
Infractis Nilus cornibus ingemuit.*

*Pharnacis inde mibi poenas audacia solvit;
Ut vidi, victus protinus ille fuit.*

*Africa me timuit pugnantem ad litora Tapsi:
Hesperia ad Mundam dat mibi prona manus.*

*Romam, quam nullae potuerunt flectere gentes,
Insueto docui subdere colla iugo.*

*Sed libertatis nondum restincta cupidio
Letales sicas insidiosa parat.*

*Me petit incautum, spargitque cruento senatum,
Et me, tu fili, tu quoque, Brute, feris!*

A. BASILI.



QUAESITIS RESPONSIO

De recta latina verba enuntiandi ratione.

In huius commentarii numero qui kalendis Ianuariis prodiit, de renovando latine linguae usu in colloquis et scriptionibus doctorum totius orbis locutus sum. Quam ego defendi sententiam multis quidem cordatioribus viris probari sensi, sed non omnibus. Sunt qui opponant difficultatem latini sermonis apprime discendi; quam superare se posse diffisi scientiae qui nunc sunt studiosi, nunquam vernaculae linguae, sibi familiari, valedicent. Alii de ipsa latinitate desperant, arbitrati latinam linguam, etiamsi novis verbis et locutionibus locupletatam, parum aptam esse tot novis inventis et notionibus exprimendis, quae a veterum cogitandi ratione toto caelo differant; aiuntque oneri imparem casuram esse nec tanto muneri sufficiunt; e contrario, aliquam recentium linguarum, vel anglicam vel germanicam, longe facilius et ad rem aptius posse inter doctos ita propagari ut communis sermonis officio fungatur. Alii denique favent quidem latinitati cuidam omnium communi, at magnam difficultatem inde exsistere autem, quod ratio appellandarum litterarum non eadem est apud omnes gentes, immo longe diversa; communia enim verba et litteras alter enuntiant Itali, alter Francogalli, alter Germani, alter Angli; tantum ut, etsi eadem lingua loquentes utantur, nequaquam inter se intelligent Europae populi, nedum totius orbis incolae.

Harum rerum quae sententiae meae obiciuntur gravitatem non equidem dissimulo, quin ultro ipse agnosco. Attamen non adducor ut credam tam magna haec esse ut vinci non possint, et aio, renovatae latinitatis utilitatem tanti faciendam esse ut cetera omnia cedere debeat cessuraque sperare liceat.

Nunc missis quae pertinent ad difficultatem et opportunitatem latinitatis omnibus gentibus communis, loquar de recta enuntiandarum litterarum ratione.

Non dubium est, quin recentiores latine loquentes plerumque in eo peccent quod litteras latinas effuderunt illo sono qui est vernaculae linguae. Ita Angli cum vocem *fagi* enuntiant quasi *fedshai* sit, et pro eo quod est *vici* aiunt *vaisai* et similia, nil aliud faciunt nisi latinas litteras anglico more appellare. Vernaculum etiam morem Galli sequuntur cum voces latinas acuto sono finiunt, cum nemini ignotum sit veteres nunquam aut fere nunquam polysyllaba verba acuto tenore conclusisse. Idem faciunt Germani cum vocem qualis est *Cicero* ita enuntiant quasi sit *Tzilzero*. Quia in re non minus peccamus nos Itali *ci*, *ce* palatali, ut dicunt, sono efferentes pro gutturali quo unice utebantur Romani, ut ex mille argumentis eruit (cfr. graecam scriptionem Κτιέρων). Cum haec ita sint, quis neget, recentiores omnes latinitatem plus minus deturpare? Angli praesertim nobis in Italia viventibus plus quam ceteri videntur a recta ratione longe deerrare; nam turbant omnia vernaculo illo loquendi modo, nec ullus est inter eos hospes qui eos latine loquentes intelligat, nisi sit assidua consuetudine eductus.

Si igitur latinae linguae usus est in doctorum commercio renovandus, patet manifestissime ab omnibus removenda esse vitia de quibus dixi, ut communis quaedam exsistat ὀρθοέπεια, id est emendata cum suavitate vocum explanatio.

Sed ubinam ὀρθοέπεια collocabimus? Quibus fundamentis eius aedificium exstruemus? Quas regulas emendatae enuntiationis ostendemus omnibus gentibus sequendas? That is the question, ut Angli aiunt.

Res est non facilis, nec brevi sermone concluenda. Oportet ut de singulis litteris praecerta certa et perspicua ex diligentia aureae latinitatis studio eruantur; nec absonum sit doctos totius orbis viros in concilium aliquo terrarum convocare, ut sententiis collatis, quasi icto inter se foedere, de his rebus optimum in modum conveniat.

Hic ut singula omittamus et quaestionem in universum tantummodo consideremus, omnes mihi assensuros confido affirmanti, fundamentum rectae latinarum litterarum appellationis id esse, ut eas non aliter enuntiemus quam scribuntur; si perpaucā excipias, ut *ae*, *oe* diphthongos unico sono qui est *e* efferendos, et *C* litteram singularem cum *Gaium* praenomen indicat. Hanc regulam iam veteres Quintiliani tempore sequebantur: «Ego», ait vir ille maximus (*Inst. or.* I, 7, 30), «nisi quod consuetudo obtinuerit, sic scribendum quidque iudico, quomodo sonat. Hic enim est usus litterarum ut custodiunt voces et velut depositum reddant legentibus, itaque id exprimere debent quod dicturi sumus». Hanc regulam fere sequuntur etiamnunc Itali latine loquentes, si id tantum excipias quod *ce*, *ci*, *cae* palatali sono, ut dixi, pro gutturali enuntiant, et syllabas quae sunt *tia*, *tie*, *tio*, *tiu* efferunt quasi sint *zia*, *zie*, etc. Quae utrum vitia recentioris enuntiationis consideranda sint, a nostro loquendi more removenda, an toleranda et pro legitimis habenda, videbit doctorum concilium ad quod provoco.

Non est tacendum, etiam cum conveniet inter omnes de latinitatis opere, et iisdem omnes conditionibus loqui studebunt, fore ut non parum differant alii ab aliis. Quidni? in rerum natura est ut gutturus forma, emissione vocis, earumdem litterarum appellatione, gentes, nationes, vel eiusdem civitatis incolae plurimum differant inter se; neque unquam Europaei et Americani ita latine loquentur, ut eosdem penitus sonos reddant. Sed non est ad extremam usque anxietatem et ineptas cavillationes descendendum; satis omnium utilitati factum erit cum adeo perspicue a loquentibus verba exprimenter ut alii intelligant; ceterum veniam dabimus petemusque vicissim, ut aequum est inter homines non fastidiosos, non haerentes in verbis, sed longe maiora spectantes.

F. RAMORINO.

ANNALES

Sinenses res — In Costarica et Guyana seditiones — Transvaalianum bellum — Pacifica Pontificis vota.

HAUD equidem in ultima tantum Africa eventus exsurgunt qui Europae simul et Americae animos perturbare valeant, verum et in Sinis graviora quotidie contingere, tum ad commerciorum, tum ad religionis detrimentum patrata videmus.

Nuper enim ad Rangoon urbem cum Anglorum una cum Sinensium legati de finibus vicissim constitutis agerent, paganorum turba repente irrupit, cui nimis ingratum forte videbatur extraneos sua in regione fines alieni dominii describere. Tunc igitur angli sinensesque milites armis instructi in paganos profecti sunt, sexaginta interfecerunt, domus ad bis millia igni deleverunt.

Similia interdum et Galli sua vice gerunt, quorum legatus Pichon, et Yun-nam et Sak-koi provinciarum consules, Ha-noi simul redierunt, ut cum Doumer, qui coloniis Gallorum in Indorum et Sinensem finibus praestet, de sua agendi ratione una consulerent.

*

In Americis ex Anglorum colonia Guyana, prope Album flumen, nonnulli ordinum ductores fines transgressi anglicum vexillum protulisse nunciantur, neque putant id absque consilio prudenter inito de ampliandis forte Angliae dominiis. Costarica autem in republica militum manibus summa rerum commissa est, ut perturbationibus innumeris quibus regio torquetur finis imponatur; quod idem Sancti Dominici in insula, senatusconsulto caustum est.

*

Potissimi vero horum dierum casus bellici in ultima Africa manent. Roberts ducis et Kitchener eius socii exercitus hostium copias a Kimberley oppidi obsidione depulsas atque immissis post terga equitum alis occlusas, in ditionem tandem venire coegerunt. Tunc Cronje earum ducem captivum sese tradere oportuit, dictantque iam in Oceanum ad Sanctae Helenae insulam relegatum iri. Posthaec et quae Ladysmith moenia Boerorum copiae obsidebant recessere, ut, una simul cum reliquo exercitu, victoribus irrumpentibus obviam proficiscerentur. Properant itaque suprema belli proelia, Bloemfontein et Praetorianum circum forte ineunda, quibus de Boerorum viribus supremum periculum fiet.

*

Quam ultimam quidem atrocem sanguinis effusionem velimus praepeditam. Hinc inde pacis verba extolluntur; at nullius, nec regis, nec praesidis, vocem eamdem invocantem ita audivimus, quam Romani Pontificis, qui cum, ob nonagesimum aetatis annum feliciter superatum, auspiciis a nobili aula oblatis responderet, haec in oratione paterno affectu fassus est: «Concordi animo Deum obsecrandum ne cruentum bellum, quod nonnullis iam niensibus ultima in Africa geritur, amplius progredi sinat. Dei enim pariter filios, nostrumque fratres omnes esse, qui dura bellorum sollicitudine horridisque pugnis labrant, iamque utraque ex parte victimas plus aequo occubuisse. Pugnantes igitur benigne respiciat Deus, iras componat, animos ad remissionem et concordiam ducat, ut in firmam et veracem amicitiam, pacis osculo et iustitiae firmatam, brevi redeant».

Ad quae supremi Pastoris vota, quippe omnium liberorum consensum reapse declarant, vehementer accedimus.

POPULICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

IN Americana nordica republica foedus illud secreto initum, quod cum Anglis vigore dictabant, Hay, rerum ad exteris minister, omnino negavit, pariterque obtestatus est nec cum Germanis ullam pactionem conceptam fuisse, ad pacem in Transvaal procurandam.

In Anglia de militari delectu civibus imponendo rogatio coram municipum coetu reicitur: Goschen, navalium rerum supremus curator, cum navigia tertii ordinis instrui oportere nunciaret, id tantum cautum esse ad exercitationes consueto more peragendas affirmavit; nuncios a Chamberlain coloniarum ministro perfectus de Cronje Boerorum duce eiusque exercitu feliciter capto maximis plausibus exceptus est.

In Austria, etsi Koerber, novis administris praefectus, orationem habuerit, ut municipum legatos, relictis sue cuiusque gentis simultatibus, ad imperii bonum procurandum hortaretur, Bohemorum tamen legati in unum convenientes totius administratorum collegii inceptum adversandum statuerunt.

In Dania de Antillarum insulis, quas Dani tenent, Americae nordicae reipublicae vendendis rogationem iri propositum ab Hoerring administris tradunt; at rex simul et oratores populi acriter huic consilio obsistunt.

In Gallia de Sabaudiae finibus validius tuendis rogationem ab Empereor populi oratore oblatam, Gallifet praefectus militum respuit; nunciavit insuper proxime factum iri, ut quod de tormentis bellicis iam cautum est, quae optima totius Europae reputantur, ita et de ballistis fiat. De mercibus ex coloniis in Galliam translati vectigalia augere lege est constitutum contra nationes quae Galliarum merces nimio forte tributo multaverint.

In Germania, obstante Hoenlohe administris praefecto, rogationem de extraordinariis facultatibus, quibus Alsatiae et Lotharingiae praeses fruebatur, abrogandis populi oratores approbarunt, idque pariter de gemina rogatione constituerunt, qua in binis illis provinciis electionum ritus renovandus proponebatur.

In Iberia statutum est ut pecunia, quae bellicas expensas exsuperare in constituta summa videtur, in tormentis bellicis statim emendis impendatur.

In Italia oratores populi quibus ex ultima laeva aula parte, in qua sedent, sese appellare placuit, rogationibus a gubernantibus propositis, de libertate conitiorum et liberos edendi temperanda, quotidie obstant prolixas orationes sua quisque vice recitantes, quam contentionem obstructionismum, uti notum est, vulgo dicunt.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

Prof. ANTONIO GALIERO, *S'nonimi latini ad uso delle scuole ginnasiali e liceali* — Atellae, ex officina Pamphili Castaldi, 1899.

Antonius Galiero cognominata verba collegt, que ad vim latini eloquii percipiendam et gustandam in scholis secundi ordinis necessaria sibi viderentur. Opusculum igitur habemus nullo elato spiritu exaratum, sed tantum laudabili illa erga iuvenes benevolentia, qua magister, sui officii apprime conscientius, discipulos adiuvat, doctrinam explicat, aequam facit atque amabilem.

Quod ad assequendum facilis scriptor humili stilo uitur adolescentium mentibus accommodato; quo autem melius vocabula eorumque inter se discrimen memoriae haereant, iocos refert, parvas historias, sententias, carmina, eaque nec contendentibus nervis nec, ut ita dicam, antecpta informatione accersita.

Sic ut Lucretii ipse verbis cum Galiero utar (voc. *captus* — *deceptor*):

*pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore...*

FORFEX.

AENIGMATA

(PERMUTATIO VOCALIUM).

A proficisci ad bella volentibus implorandum.
O invicta manet, dum mundi finis adesto.

A vel dimidium genus est vivens moriensque.
O utinam totum doceat teneatque regatque.

A stips sit datus accepturis dis miserisve.

O eheu! Homini est utrumque decorque dolorque.

A et amicus masculus et neutrum decus aedi est.
O mihi, lectores, veniam date nota ferenti.

A. E. DE DRUFFEL.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

ÉTUDES ET TABLEAUX HISTORIQUES
par LÉON GAUTIER.

Aenigmata ann. III, n. II proposita his respondent:

1. Pan — dora. 2. Sal — Sol.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Anic. Tapias, *Roma* — A. Chevénement, *Nods*; Aug. Sordet, *Thury*; D. Le Prevost, *Briocen*; Aug. Narquet, *Monteloco*, in *Gallia* — Guil. Schenz, *Ratisbona*, in *Bavaria* — Car. Stegmüller, *Sabaria*; Mart. Kheberich, *Scopiso*, in *Hungaria* — Mich. Jezienicki, *Lemberg*; Ad. Huza, *Gribow*, in *Galicia* — Ioan. Sedlack; Ioan. Iczala, *Praga Bohemorum* — Edm. Riess, *Seccau*, in *Styria* — H. E. Strong, *Lyrplia* — Alfr. Bartoli, *Grosseto* — P. Garrone, *Pezzana ad Vercellas* — Ioannes Mediolanensis — Iul. Sernatinger, *Dresda* — A. Burg, *Argentorato* — Alexander P. Gest, *Lambertville*; Am. Roberts, *Marierville*; Ioan. Falconbridge, *Toronto*; Aug. Roberge, *Chicot*, in *Canada* — Ver. Cariolato, *Vicentia* — E. R. Massey, *Bicester*, in *Anglia* — Hier. Reidy, *Clevelandia*, in *Civ. Foed. Americae sept.* — Vinc. Lakatos, *Keszthely* — Alph. Dejaer, *Pousset Remicourt*, in *Belgis* — Ant. Portanova, *Salerno*.

Sortitus est praemium:

CAROLUS STEGMÜLLER,

ad quem missum est opus, cui titulus:

NOVUM IESU CHRISTI TESTAMENTUM

VULGATAE EDITIONIS

Xysti V. Pont. Max. iussu recognitum et Clementis VIII auctoritate editum.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, jurisperitus.

ROMAE — Ex Officina Forzani et Socii.

- XIII. . . Ciceronis M. Tullii *Orationes*. Ed. MÜLLER. (Voll. 3).
 XIV. . . Ciceronis M. Tullii *Epistulae*. Ed. MÜLLER. (Voll. 2).
 XV. . . Ciceronis M. Tullii *Scripta philosophica*. Ed. MÜLLER.
 (Voll. 3).
 XVI. . . *Eclogae poetarum latinorum*. Ed. S. BRANDT.
 Id. *graecorum*. Ed. STADTMÜLLER.
 XVII. . . Gellii Auli *Noctium Acticarum* libri XX ex rec. M.
 HERTZ. (Voll. 2).
 XVIII. . . *Historicorum Romanorum fragmenta*. Collegit, dispo-
 suit, recensuit H. PETER.
 XIX. . . Orosii Pauli *Historiarum adversus Paganos* libri VII.
 Rec. C. ZANGEMEISTER.
 XX. . . *Panegyrici Latini XII*. Rec. AEM. BAEHRENS.
 XXI. . . *Poetarum Romanorum fragmenta*. Ed. AEM. BAEHRENS.
 XXII. . . Silii Italici *Punica*. Ed. L. BAUER. (Voll. 2).
 XXIII. . . Taciti C. Cornelii *Libri qui supersunt*. Rec. C. HALM.
 (Voll. 2).
 XXX. . . Divi Thomae Aquinatis *Summa Theologica* ad emendatores editiones impressa et accuratissime recognita. Edid. Romae
 Forzani et S. - Leo PP. XIII aureo numismate decoravit.
 XXXI. . . Divi Thomae Aquinatis *Summa Philosophica contra Gentiles* ad lectionem codicis autographi in bibl. Vaticana adservati,
 probatissimorum codicum meliorisque notae editionum fideliter impressa. - Romae, ex off. Forzani et S.
 XXXII. . . *Biblia sacra vulgatae editionis Xysti V P. M.* iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. - Affabre renovarunt
 Desclée, Lefebvre et S.
 XXXIII. . . *Novum Iesu Christi Testamentum vulgatae editionis Xysti V P. M.* iussu recognitum et Clementis VIII auctoritate
 editum. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.

- XXIV. . . Valerii Maximi *Factorum et dictorum memorabilium*
 libri IX, cum Iulii Paridis et Ianuarii Nepotiani epitomis. Rec. C. KEMPF.
 XXV. . . Varrois M. Terenti *Rerum rusticarum* libri III. Rec.
 H. KEIL.
 XXVI. . . Christus patiens. *Tragoedia christiana* ex rec. I. G.
 BRAMBS.
 XXVII. . . *Vitae Sanctorum novem metriceae* ex codicibus Mona-
 censis, Parisiensibus, Bruxellensi, Hagensi saec. IX-XII.
 Ed. GUIL. HARSTER.
 XXVIII. . . *Epistolae selectae virorum clarorum saec. XVI-XVII*.
 Ed. E. WEBER.
 XXIX. . . *Manutii Pauli Epistulae selectae*. Ed. M. FICKELSCHERER.
 Mureti M. A. *Scripta selecta*. Ed. I. FREY. (Voll. 2).

(Quae opera omnia prodierunt Lipsiae ex officina Teubneriana).

Subnotationes atque praepositi praemii indicatio recto tramite mittantur ad **Vox Urbis** commentarii administratorem, Roma, via Alessandrina, 87.

PER ORBEM

Antequam hodiernum iter aggrediar, unum mihi praestat potissimum explere, gratias veherentissimas ex corde reddere Iacobo Gresham Americano viro, qui Brooklyn in urbe, in domo numero octo super centum et quadraginta distincta, ad plateam cui Lincoln nomen, commoratur.

Huius enim opera et ingenio brevi fiet ut quem nunc orbis circuitum vix maxima adhibita celeritate bis in mense percurrere possum, trium dierum spatio absolvam. Id enim potest prodigiolum illud navigium, quod, Iacobo auctore et moderatore, Newport-News in portu exstruitur, et Iulio, futuro mense, in undas primum descendet fulmineumque iter suum congregietur.

¶

Quare, proxima aestate, quot naves oceanum persulcabunt, ferreum hunc et portentosum marinum anguem ante oculos effugere, fulgoris celeritate, frementes inter undas videbunt, et excitatos iterum et saeculorum somno Neptuni equos, cursu citissimo vincere. Tunc, si Superis placuerit, in ferrea illa puppi et ego consistam nunciosque omnium terrarum non ex ephemeredibus collectos, verum ipsis meis oculis reperitos vobis admirantibus referam.

¶

Nec periculum imminet, quod Regem Suetiorum navem recens corripuit, cum, prope Ruegen insulam fundo implicitam, viatrices sex misere perdidit.

Haec ex Berolino accepimus, ubi interea Henricus, Wilhelmi Caesaris germanus, lautissima coena exceptus, de telegraphicis novis funibus, sub mare, Germanico ausu, deducendis magnam orationem habuit, ut germanica commercia ab Anglorum tutela omnino redimantur.

¶

At auspicio faustiori haec acta breviter velim, nec tot misera, quot hodiernis funibus transmittuntur, novis etiam evulgari, ut puta, pestis luem, quae hieme iam non domita, vere appropinquante acris nos minitatur, dum Aden sinum aggreditur, Indias una cum fame depopulatur, eiusque incolas innumeros interficit, ultimae Australiae portus attingit, et Rosarium, Argentinae reipublicae urbem, adhuc tenet.

¶

Laetiora cupio germanicae funes nos doceant, veluti, exempli causa, quae sapienti indagine Carolus Peters circa Zambezi cursum nuper detexit, qui in deserto iugo inter Iniangi montes salis, micae, et adamantium fodinas invenit. Nec satis: nam post quindecim millia passuum a flumine, ad Muira rivulum confluentem, magnificaे urbis ruinae viatori attonito apparuerunt et oppidulum casis instructum cui nomen Fura. At, ecquis credit? Fura haec, docente doctissimo viro, nil aliud esset quam Ophir illa celeberrima et ditissima urbs (cuius nomen hebraice *fodinam* sonat) ubi, remotissima antiquitate, Salomonis regis mandato, gemmarum thesauri effoderentur.

Et sane illae monumentorum reliquiae hebraicis manibus indubie sunt tribuenda, immo, qui supersunt inibi pauperrimi incolae, solem et ignem ipsi quoque veluti deos colunt, et auri effossiones, licet rudiori modo, aliquantulum tamen procurant. Exstant enim et auri thesauri in montium lateribus abditi, qui quidem hic et illuc cavernis adhuc hiant, vetustissimo ferro excavatis, et forte a Salomonis servis primum perfectis.

Sed haec meminisse sufficiat: si quis vestrum, lectores, divitiis augeri cupiat, iam scit quo sibi iter convertendum.

VIATOR.

VARIA


Stomachi photographia.

In principe Bavariae urbe Münich medici Gange et Maltzing per os et guttur integrum apparatus photographicum, latum millim. 11, longum millim. 16, in stomachum funiculo speculatore demittunt, in quo serpit cupreum filum, ut succendatur minima electrica lampas.

Hoc opus unum: lavare stomachum, tum aliquantulum dilatare. Post haec funiculus dimititur, et citius verbo photographica effertur imago. Mox levi conversione funiculi pedetentim ita apparatus photographicus in stomacho convertitur ut habeatur quivis paries interior.

Decem circiter minuta sufficiunt ad absolendum, idque adeo ad apicem perficitur, ut quaevis vel minimae rugae imago resulet.

Quanti hoc sit in stomaci morbis debellandi nemo non videt. P. d. V.



EPISTOLARUM COMMERCII

MELITAE - Fac ut nomen tuum cognoscamus: scripta enim ignoti, licet assidui lectoris, nunquam edemus.

MUNDANO (vel potius cl. v. IAC. TAS...) - Gens illa nostris diebus princeps in illa re non modo apud nos, sed et apud ipsos cives tuos et plerosque orbis populos. Ah! ecquid dubii? - Ceterum de studio quod tuis animadversionibus erga nos ostendis, agimus gratias.

Cl. v. P. A. ROV.... Ioseph nominor, qui laudo fructus a te dimetiendi studio perceptos, et Sybaritae patriae regionis amorem. Sed tamen hac vice oro ut parcas: quod factum est in...tegrum servemus.

Cl. v. VINC. LAKAT... - Agedum, mitte et videbimus. A SECRETIS.

Desclée, Lefebvre & Soc.

LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE - VIA S. CHIARA, 20-21 - ROMAE

H. MARUCCHI

ELEMENTS d'Archéologie Chrétienne

I. - NOTIONS GÉNÉRALES.

Perpolitum vol. in-18 magno cum figuris, venit Libell. 6.

Nuperrime prodierunt

CONSTITUTIONES LEONIS XIII
SUPER
IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM


THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

apud commentarii VOX URBIS Administratorem.

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50



VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
Nuperrime edidit

❖ ❖ Mnemosynon
Iubilaei Magni ❖ ❖

DIRIBITORIAE CHARTULAE INSTAR

AD FIDEM EXPRESSUM REFERENTIS

Solemne aperitionis Portae Sanctae

a Leone pp. XIII

die XXIV mens. Decembris MDCCCLC peractae.

Premium singularum centum *ante solvendum* commentarii Vox URBIS administratori - Romae, via Alessandrina, 87 - est Lib. 3.50.

❖ Nullo impendio ad iubentis domicilium chartulae ipsae mittuntur ❖


T. G. Fratrum PARISI
CANDELARUM AD SACRA OPIFICIUM
PRAEMIIS INSIGNE
AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium
recognitionibus publi-
ce habitis maxima re-
lata munera.

LEO PP. XIII
honores addidit

Lateranensi Archi-
basilicae, itemque Va-
ticanae, quoties de Bea-
tificatione aut de Cano-
nizatione solemne sit,
suppediat.



Praecipua Templa
cereis instruit ubique
terrarum. In Asiam,
Africam et urbem Con-
stantinopolim mittit
ingentia rerum huius-
modi pondera, pretio
francs 180 pro singulis
100 Chilogramm.

Si vero ab America
aut ab Australia petantur
onera (300 Chilogramm.
ad minimum),
premium erit francs 225
pro 100 Chilogramm.

Nullo impendio iubentum
res in proximiorem a potentibus designatum portum defertur
Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur
Cuivis quaerenti explicatio erit uberior.